



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

10. Tragicus Baechanalium, in Gallia exitus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

cui rapina cessit feliciter, gaudium rectè duravit in posterum. Diogenes canem, non hominem egit, quando nimis properè effudit, Harpalum celebratissimum furem, contra Deos testimonium. Laert. lib. 6 dicere, quòd in illa fortuna tamdiu viueret. Desipuit tunc Philosophus, quia nesciuit patientiam & longanimitatem DEI, quæ ad pœnitentiam homines expectat: quam si non agant liberi, coguntur quodammodo agere captiui antè, quàm ducantur. Quòd si enim, teste Lampridio, Alexander Seuerus adeò vindex fuit furti, vt per præconem sæpe edixerit: *Nemo salutet Principem, qui se furem esse noscit*: quis putet, vllum vel furtum, vel aliud facinus, apud diuinum tribunal fore impunitum? Omnis autem pœna huius vitæ infertur, vt liberet æternâ pœnâ pœnitentes: ad cælum dummodo veniatur, perinde est, quâ viâ veniatur. Etsi enim vtique satius esset non peccare, vbi tamen peccaueris, cum per pœnam & pœnitentiam eundem sit ad cælum, illud verus locum habet: *Theodoro nihil refert, humine, an sublime putrescat*. Nec sanè refert, in aquis, an flammis, peste vel ense quis moriatur, dummodo morte iustorum moriatur.

Libet coronidis loco addere, quosdam etiam ludentes mori: quæ non est mors optanda: rarò enim tales satis sunt ad hanc luctam parati. Omnia alia cogitabant. *Tenent tympanum, & sitharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*. Quare vt mortales à vanitatibus eiusmodi, ac Bacchi festiuitatib<sup>9</sup> absterreat Deus, multa & terribilia exempla Mundo exhibuit, in quibus comœdiarum lætitiæ in mœstissimas tragœdias transferunt. Refert Paulus Æmil. lib. 10. de Franc. reb. & Bapt Fulgos. lib. 9. cap. 10. illustres, in aula regia, nuptias adornatas, quibus exhilarandis, rex ipse voluerit interesse. Finem jam habebant dapes, mensisque remotis, dies in noctem, compotatio in tripudia, homines ad choreas iuerant. Ibi, reginâ quoque in lætitiis communes effusâ, rex quinque alijs, è præcipuâ nobilitate, comitatus superuenit: atque, vt licentiùs posset lasciuire, larua vultum texerat, ex homine in leonem deformatus. A capite, per cervicem, armos, & corporis superiora, metuendi aspectûs jubæ dependebant, quæ vt cum veste coalescerent, pice liquata, conglutinabantur. Cætera ita erant

X.

Iob. 21. ] 24

Paul. Æmil.  
lib. 10. de  
Franc. reb. &  
Bapt Fulgos.  
lib. 9. cap. 10.

erant tincta aptataque, ut leonem supernè villosum, inferiùs semitonsum referrent. Ad hunc modum & reliqui comites amici, mira pedum agilitate, gestuumque varietate, ac Laconica saltationis pedemate, spectaculum faciebant. Excitavit ea saltatio, elegantiam suam, magnos applausus, præsertim, apud illos, qui sciverant, quis Hercules sub leoninis exuvijs luderet. Itaque, ut quisque voluit esse proximus ad eò humanarum belluarum spectator, occurrit ipse quoque cum face regis frater, Dux Aurelianensis, de cuius tæda, cum scintilla in regis jubar incidisset, illico flamma reluxit, pice ignem rapiente. A rege extemplo incendium in socios succurrere volentes, & pabulum, non remedium igni afferentes, est propagatum. Clarissima igitur repente extitit saltatio, & verè illustres fuerunt saltatores. Quia, ut nihil deesset ad repræsentationis veritatem, sub ipsis laruis, ficti leones rugire cœperunt. Quatuor ex illis, velut in molesta tunica ambulantes, miserimè vstulati, ante diem Cinerum, in cineres abierunt. Quintus in vicinam cellam delatus, superfusam partim aquam, partim, ut quidque obuium erat, vino, ardentis tegumenti piceum furorem restinxit, Neptuno, & Baccho Vulcanum vincens. Rex ab vxore auxilium accepit. Biturgis ea vocabatur, quæ habebat tam longum, in veste, syrma, quod post se, per terram trahebat, ut eo subleuando tres pueri nobiles occuparentur. Eo igitur syrmate inuolutus rex, suffocata, oppressaque flamma, à præsentis exitio est liberatus. Ita prædixit Salomon, quando dixit: *Risus dolore miscbitur, & extrema gaudij luctus occupat.* Ite, mortales, potate, saltate, rara est lætitia sine sale, ut alibi & in Domino lætari discatis. Verùm iste luctus eos inuasit, qui in alienis nuptijs gaudere voluerunt.

Prov. 14 13.

XI.

Longè autem mœstiores nuptias, audiui à viro fide digno, Romæ celebratas, cum ipse inibi versaretur. Duo riuales vniui puellæ nobilis matrimonium ambiebant: altero prævalente, alter expectavit diem nuptiarum, & ad eò etiam initium chorearum. Tum reliquis lætissimè saltantibus ipse larvatus, cum alijs larvatis comitibus superuenit, scitissimeque chorum expressit mortuorum. In quo postquam satis desaltarunt, adhuc restabat, ut vnum in medium afferrent, qui capitis nutu, & manuum brachio-